



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Edvardo Et Roberto Rvsseliis, Fratribvs. Super fama Romam, dùm ibi peregrè abessent, allata de Patre illorum, antea Bedfordiæ Comite, ad amplissimum Ducis gradum euecto. Ode XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

EDVARDO ET ROBERTO
RUSSELIIS, FRATRIBVS.

*Super fama Romam, dùm ibi peregrè abessent, allata
de Patre illorum, antea Bedfordia Comite, ad am-
plissimum Ducis gradum euecto:*

O D E XXII.

A Ngli quid titulo Ducis
Pulcher signat honos? Gallia quod Paris
Magno nomine venditat;
Seu Grandis quod Iber; quicquid & Italus
Parmensi domino refert.
Nè credatur iners tessera gloriae, aut
Macrae fumus imaginis.
Talem vix dare prouincia sufficit
Septem nobilis vrbibus.
Talem concilio sepositum Iouis
Maiorum aurea gentium
Exemit series. Nestora Doricus
Tali rex habuit loco;
Tros Anchisiaden; & Macedo Clitum;
Obscuro spatio impares.
Sic primo imperirant Caesare Consules.
Patris gratulor hinc decus
Vobis, ô Iuuenes, magnanimo patre
Digni, tam procùl insequens,
Priuatiquè ferax. Vos quoquè crescitis,
Phœbi ceu soboles noui,
Ortu purpureo, & luce domesticâ;
Nec risum Phaëthontium
Debetis populo degeneres. Cauet
Priscæ nobilitas domus
Culpis egregiè, sed magis indoles
Faussto sub lare moribus
Innutrita bonis, Nec catulos lea

Mas.

Maffyllo timidus specu,
 Nec nido indecores fulminis arbiter
 Produxit malè filios.
 Tantùm exempla animant, semen & infitum!
 Quid Bedfordia reddita,
 Russelliquè sibi, commoneant (vetus
 Est fœdus) reducis manu
 Regis munificâ, qui stupet inscius;
 Idem per memores eat
 Fastos, & monumenta eruat vltimæ
 Non Thyles, sed & vrbium,
 Quas Titan gemino lustrat ab æquore,
 Condens, ac reuehens diem:
 Occurret folijs impiger omnibus
 Russellorum aliquis, virum
 Victor, nec spolijs inuidus Herculis!
 Huius vos patulæ arboris
 Gemmas, & nitido cortice sureulos
 Martis mœnia continent;
 Captantes aditus iam Capitolij,
 Quà quondam ibitis æmuli,
 Cingat laurea, seù frons oleæ comam.

ANTONIO CABRERIO AVENDANNO.

*Cùm vulgaret Librum inscriptum, Ver
 sacro-profanum.*

O D E XXIII.

R Vrsùs emergit soboles acutæ
 Mentis, ANTONI, genitore digna
 Te, nec inuoluet patre te pudendos
 Degener annos.
 Sic cano vates: canimusquè vates
 Vera constanter. Liber hic beati
 Ritè depingit Zephyri, & virentis
 Regna maritæ.

Aptar